Fragmentarium

tum aspiciat ad quantitatem muneris quantum ad caritatem cordis et ad possibilitatem dantis. Exemplum ponit dominus in euangelio beati Luce de hiis qui mittebant munera sua in gazophilacium ad restaurationem templi. Inter quos vidua paupercula misit duo era minuta id est duos quadrantes. De qua dominus dicit: Vidua hec paupercula plus misit quam omnes. Quia omnes ex habundancia sua miserunt in munera dei. Hec autem de eo quod deest ei omnem victum suum quem habuit misit. ¶ Iste sunt elemosine corporales que tanguntur in hoc versu:

Visito poto cibo redimo tego colligo condo.

Visito infirmos. poto sitibundos vel leprosos. Cibo id est pasco famelicos. redimo incarceratos vel manu feneratorum obligatos vel impignoratos. Tego id est vestio nudos. Condo id est sepelio mortuos. ¶ Elemosine vero spirituales sunt tres. Prima est ignorantem docere. et hoc pertinet ad omnes qui sciunt et possunt hoc facere. sed specialiter ad predicatores et doctores. in quorum persona dominus dicit per Ysaiam prophetam: Clama ne cesses quasi tuba exalta vocem tuam et annuncia populo meo scelera eorum. Elemosina eadem relevat animam propriam sui. Unde in epistula Iacobi: Fratres mei si quis ex vobis erraverit a veritate et converterit quis eum. scire debet quia qui converti fecerit peccatorem ab errore vie sue saluabit animam eius a morte. Certe quanta est ista elemosina in qua salus animarum est posita. quia plus valet una anima quam omnia mundi regna. ¶ Secunda elemosina spiritualis est errantem corrigere et hoc pertinet ad omnes qui habent aliquos subditos sibi sub se. Sed specialiter ad pastores et prelatos. in quorum persona dicit sapiens: Qui diligit filium suum assiduat illi flagella. Filium id est subditum. Idem: Stultitia colligata est in corde pueri et virga discipline effugabit illam. Pueri id est peccatores qui pueriliter agunt. quando a celesti patre peccando recedit. Hanc elemosinam exhibuit beatus Benedictus monachulo qui tempore orationis non poterat stare in templo. et beatus Benedictus vidit dyabolum in nigri puerili specie ipsum foras trahere. Tunc beatus Benedictus puerum flagellauit et dyabolus quasi sensisset flagellum a puero recessit. Et extunc monachus orationis tempore cum aliis in templo remansit. Contra defectum istius elemosine fuit Hely sacerdos cum filiis suis punitus morte quia ipsos peccantes corripiebat tepide et lente sicut legitur in libro regum. ¶ Tercia elemosina spiritualis est inimicos diligere. De ista dicitur in scripturis. Hanc enim operis exhibuit quando moriens in cruce pro crucifixoribus orauit dicens: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. ¶ Hec autem tria opera misericordie spiritualia tanguntur in hoc versiculo: Instruit errantem. castigat. diligit hostem. ¶ Ex predictis patet quod nomine elemosine intelligitur omne opus misericordie siue corporale siue spirituale in auctoritate proposita. Cum dominus dicit: Cum facis elemosinam etc. Sed quia omne opus nichil prodest nisi fiant intencione bona. ideo sequitur: Noli tuba canere ante te. Quod est noli velle cum hominibus innotescere. sicut tuba que canit omnibus audientibus innotescit. Sequitur: Sicut ypocrite faciunt. Et ideo eternam mercedem perdunt. Unde sequitur: Amen dico vobis receperunt mercedem suam id est humanam laudem et gloriam. Sequitur: Te autem faciente elemosinam nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. id est non facias pro humana laude siue pro temporali mercede. que intelligitur per sinistram. quod

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 10r – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69216)